

quoque est interpretatio Syri, qui ita, ex plurium expositione, reddidit: *Vt sint absque exitu in latitudinem*, h. e. ut constricti, conuictique teneantur propriae damnationis, nimirum, ratione tum culprae, tum poenae, alias enim iis competeret ἀπολογία, et Deo ἀναπολογία.

Rationes hic
potius in
contrarium
militant,

II. Ast uero, contrarium euincunt rationes, quae petuntur: 1) a *Subiecto*, de quo sermo est in dicto, Rom. I. 20. 2) ab *uniuersali Dei gratia*, Deus enim *omnes homines uult saluos*, 1. Tim. II. 4. Atqui Gentiles sunt homines, E. eos quoque uult saluos, Rom. III. 29. 3) ab *uniuersali Christi merito*; Christus enim *pro omnibus peccatoribus satisfecit*, 1. Ioh. II. 2. Gentiles sunt peccatores, Eph. IV. 18. E. quoque pro iis Christus satisfecit, 4) a *uaticiniis*, in specie ad salutem Gentilium directis. Quicquid autem Deus promittit, illud adimplet, Ps. XXXIII. 4. Quare quoque Prophetiae per Praeteritum saepius exprimentur; Deus itaque salutem Gentilium promittit, Gen. IX. 27. cuius expositionem uide in LIGHTFOOTI *annotationibus ad quaedam Geneseos difficiliora loca*, a M. HOSMANNO *collectis*, P. II. p. 20. cum Gen. XXI. 18. Deut. XXXII. 43. Pl. II. 8. Pl. XII. 44. XXII. 28. 29. LX. 18. CXVII. 1. CIIX. 9. Es. II. 2. seq. IX. 1. seq. XI. 10. XIX. 23. seq. XLIX. 6. seq. LV. 5. LX. 4. LXII. 10. 11. 12. LXVI. 1. 12. Mich. IV. 1. seq. Soph. III. 9. seq. Hagg. II. 8. Zach. IX. 10. XIV. 9. seq. Mal. I. 11. Gentilibus proinde, ex parte Dei, salus non est denegata, quae conclusio ulterius elucescit 5) ex horum *uaticinorum facta impletione*, ut, in V. T. in *Iobo*, *Idumaeo*, *Iehthrono*, *Midianita*, *Vria*, *Hethita*, *Rachab*, *Cananaea*, *Ruth*, *Moabitiide*, *Regina Sabaea*, *Naamane*, *Syro*, *Niniuitis*, *Affyriis*, *Nabuchodonosore*, *Dario*, *Cyro*, *Abasnero*, uid. GRAPPI *Theol. recens controu.* P. IV. p. 4. et PFEIFFERI *Euangel. Christen-Schule*, p. 543. Sic quoque in N. T. in primitiis *Sapientum ex Oriente*; *muliere Cananaea*, Matth. XV. 22. *Samaritanis*, Ioh. IV. 39. *Centurione*, Matth. VIII. 10. *Thesaurario Reginae Candaces*, Act. VIII. 37. *Cornelio*, Act. X. 47. 48. et pluribus, imo, in nobismet ipsis.

nihil obstan-
te obiectione
quam for-
mant.

III. Si qui uero obicerent: in N. T. post Christi aduentum, Deum nulli Gentilium salutem amplius conferre uelle, sepem, quae Iudaeos inter et Graecos interfuerit, secundum Ephes. II. 14. iam disruptam, adeoque omnes, quos Deus saluos uoluerit, salutem iam tum esse adeptos et multitudinem gentium, Rom. XI. 25. in communionem bonorum spiritualium ac coelestium iam intrasse, siquidem maxima orbis terrarum pars Christianae doctrinae se addixerit; sic illos, qui in Gentilium statu sint,
omni